cula unuſquiſque in domate ſuo, & in atrijs ſuis, & in atrijs domus Dei, & in platea portæ aquarum, & in platea portæ Ephraim. Unde ergo obſervatum præceptum habitandi ſeptem illis ſacris diebus, extra urbem; ſi in eius plateis, aut domibus præfatam perfecerunt feſtivitatem?

Unde ritè celebrata feſtivitas non ſolùm in urbe, ſed in montes.

47 Scrutemur Scripturas; & inveniemus quàm ritè facta ſolemnitas. Temporibus malis, illo tunc Machabæi erant vallati inimicis, ita ut neceſſe fuerit degere in beſtiarum caveis: 1. *Mach.* 2. 28. unde ut vidimus, ſignatur: *In ſpeluncis more beſtiarum.* Idem ſub Zorobabel: *Deterrentibus eos per circuitum populis terrarum, fecerunt ſolemnitatem Tabernaculorum.* 1. Eſdr. 3. à 3. Sub Nehemia, eſtò domus eſſent, non erat mutata urbs, & continuò inſidiabantur Samaritani. Unde cum lex urgeret, & ſub Zorobabele. iam eſſet altare, & templum erectum ſub regimine Nehemiæ; Tabernaculorum feſtivitatem hilariter celebrabant præut & ubi poterant; igitur muris circumdatâ civitate, extra illam habitantes in tabernaculis deinceps fecerunt ſcenopegiam. *Zachar.* 14. 16. Hinc pater Baptiſtæ ait: *Ut ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviamus illi in ſanctitate & iuſtitia.* Luc. 1. 74. Pro quo ſciendum eſt, in huiuſmodi feſto alia eſſe ſacra, alia indifferentia. Sacra, ſacrificia nimirùm, quæ ſignat lex in feſtivitate Tabernaculorum: *Levit.* 23. 36. *Numer.* 29. à 12. & Ioſeph. *lib.* 3. d. *cap.* 10.

In hoc feſto alia ſacra, alia indifferentia.

Indifferentia, tanquàm lætitiæ ſigna, ut thyrſus ex citro, myrto, ſalice & palma. Sacra niſi in Ieruſalem & coram Domino, ideſt, in eius altari & templo, nefas facere; ſicut non legitur factum. At præ ſe ferre animi feſtivi ſignum; ubique illis in diebus conceſſū reliquaque facerent, ſi poſſent; uti modò faciunt, vocantque *feſtivitatem Caſarum* (Interpres Hiſpanus: *Fieſta de las Caſillas*) præut patres eorum in deſerto ex ſcenis fixerunt caſas. Haud alio intuitu Machabæi, diem ſolemnem Tabernaculorum egerunt in montibus & ſpeluncis; quouſque templum reſtitutum, & iuxta legis præſcripta feſtum celebrarunt in Tabernaculis. Claret teſtimonio ſacro: *Fecit ergo univerſa Eccleſia* (dicitur 2. Eſdr.) *eorum, qui redierant de captivitate: Tabernacula, & habitarunt in Tabernaculis: non enim fecerant à diebus Ioſue filij Nun taliter filij Iſrael uſque ad diem illum: & fuit lætitia magna nimis.* Ioſue igitur Tabernaculorum feſtum celebravit ramis in ſignum exultationis; ſed minimè ſignatis in celebritate ſacrificijs; quia hæc duntaxàt in loco, deſtinando poſt à Deo. Deuter. 12. 11. *In loco, quem elegerit Dominus Deus veſter, ut ſit nomen eius in eo: illuc omnia, quæ præcipio, conferetis holocauſta & hoſtias,* &c. Non ſecùs Machabæi ſub Antiocho Epiphane, die feſtivitatis adveniente: equidem cùm longè eſſent à templo, præoccupato ab inimico; dumtaxàt in montibus quibant diem celebrare quoad plauſum ex geſtamine gaudibundo oſtentationis ramorum.

2. Eſdr. 8. 17.

48 Ex præfata auctoritate oritur curioſa quæſtio ex cuius enodatione ſuperior elucebit expoſitio. *Habitaverunt* redeuntes è captivitate Babylonis, *in tabernaculis. Non enim fecerant à diebus Ioſue, filij Nun, taliter filij Iſrael uſque ad diem illum.* Si ex numero, aut modo ſupereminet huiuſmodi celebratio; tàm in modo quàm in numero excedit ſub tempore Salomonis, erecto templo: *Eccleſia magna valdè ab introitu Emath uſque ad torrentem Ægypti.* 2. Paralip. 7. 8. Quo ergo diſcrimine dicitur taliter numquàm factum à filijs Iſraël, à Ioſue, filio Num, erga Tabernaculorum feſtivitatem? Sanctius hic *num.* 23. exceſſum ſignat in celebrantium gaudio: unde ſubditur: *Et fuit lætitia magna nimis. Et* pro particula exegetica rationali: q. d. Non taliter præ lętitiæ magnitudine ac demonſtratione. Caietan. quia quotidie cum gaudio divinę lectionis hoc feſtum celebrarunt; ut ibid. dicitur à v. 18. *Legit Eſdras in libro legis Dei per dies ſingulos à die primo uſque ad diem noviſſimum: & fecerunt ſolemnitatem ſeptem diebus, & in die octavo collectam iuxta ritum.* Utramque ſententiam amplectitur Alapide. Alia cogito, quia tò *Taliter* excluſionem omnimodam exprimit; ita ut nunquam ſic celebrata Tabernaculorum ſolemnitas à filijs Iſraël, ex quo primùm celebravit Ioſue ingrediens in terram Chanaan. Ingrediens conſtituit fieri Tabernacula, & in illis habitare, ritu ſcilicèt legitimo, in arvis extra Silo. Filij captivitatis non ita fecerunt, dum feſtum celebrarunt; ſed aſſumptis diei inſignijs, citro, myrto, ſalice & palmis, unuſquiſque ſibi fecit tabernacula in domate ſuo, & in atrijs ſuis, & in plateis civitatis, ut vidimus, num. 46. Semper enim celebrata feſtivitas, ſic vel ſic à filijs Iſraël à diebus Ioſue filij Nun: at nec tunc, nec tempore Salomonis uſque ad illum diem taliter talem celebrarunt feſtivitatem: igitur cùm tabernacula fierent, ut extra domus ſeptem illis diebus viverent; illo in articulo Tabernaculorum plauſus fuerunt extra & intra domus. Excellentia ſolemnitaris in modo celebrationis etiam eminet ex eo quòd præcipitur *Deuter.*

Et pro Quia

In hoc feſto ſub Nehemia, cur incomparabilis eminentia

ter.

ter. 31. à 9. legem à Deo datam cunctis annis Iubilei legi, convenientibus cunctis in ſolemnitate Tabernaculorum. Annus in quo Scenopegia ſub Nehemia, non fuit annus Iubilei, ut obſervat Tornielus, Ann. 3160. n. 11. ſed ut feſtivam valdè facerent ſolemnitatem; lecta eſt lex ab Eſdra, quaſi eſſet annus Iubilei: magna enim erat inter illos lætitia de mœnibus urbis, ac de extructis domibus templi miniſtris.

49 Sat ergo nobis faceſſum difficultatibus obvijs: exeuntes ergo ex litteræ deſertis, aliqua dicamus ad mores; ut in terram promiſsionis pervenire Deo ductore poſsimus.

Qui nobis factis iter omne campi;
Arduos montes deprimat, cavaſque
Impleat valles ſalebras adæquet,
Iungat hiatus. *Paulin.*

Ut accinit Paulinus de *Redit. Nicetæ*, v. 82. Verſiones liquent ex littera. *Iter fecerunt per deſerta quæ non habitabantur.* Septuagint. *In invijs, in deſertum invium, in terra ſine aqua, inculta, inhabitabili horrori plena.* Malvaſ. *In eremum inhabitabilem.* Regia Compl. *In innaceſsibilibus fixerunt tabernacula.* Syr. *in terra ſolitaria.* Maluend. *Deſertum inhabitabilem & invijs, avijs, innaceſsis locis.* Hieronym. *Terra lata eremi vaſtitate.* Ar. Montan. *Terra inhabitabilis & deſerta, deſolationis terra, & ſiccitatis.* Aquil. *Terra inaquoſa: inhabitabilis, plena horrore.* Modò igitur in Didaſcalias.

Varietas lect.

ADINATON EXEGETICUM.

Epilog. excurſ.

1. *Per deſerta, quæ non habitabantur, iter fecerunt.* Solitudo indicatur Virginis-Matris in huiuſmodi deſertis; filio privatæ, & uſque ad animam ex vulnere mœſtæ: diciturque deſertum inhabitatum, ut eius in ſolitudine clarere dirum cordolium: igitur ut penitùs eſſet in ſolitudine ſola; vel comitibus multis ſine deſerto deſerta.
2. *Per deſerta inhabitata, horroris plena.* Quælibet mater fugit videre filij paſsionem, ut cordis ſugiat cruciamen. Huiuſmodi theatrum ſæpe à matribus deſertum. Virgo que mater habitavit, quo nulla habitare voluit; quoniam etſi ſcenâ plena horroris, ſtetit immobilis iuxta patibulum crucis.
3. *Per deſerta, quæ non habitabantur.* Homo miſer! Inde felix. Videnda itaque in eius ſingulariſsimam gloriam, quæ Deus Verbi Incarnatione poſiturus prodigia ſuper terram: igitur terra humana, quæ deſerta, iam à Numine habitata.
4. *Per deſerta, quæ non habitabantur.* In morte corpus ab anima inhabitante deſeritur, & ampliùs non habitatur. Privilegium inſigne elucet Virginis-Matris in huiuſmodi deſertis: igitur corpus reſumpſit deſertum morte in ſepulchro; ut animâ & corpore habitaret in cœlo.
5. *Per deſerta quæ non habitabantur.* Ut quid deſertum in habitatum, dum ſufficiebat deſertum? Vocatio Monachorum elucet è fuga ſæculi, huiuſmodi deſerti geminatione: quandoquidem perfecta in memoria oblivio mundi; ubi deſerta relinquuntur habitata, ut habitentur deſerta.
6. *Per deſerta, quæ non habitabantur.* Deſertum dicitur ſepultura, quippequàm niſi à mortuis, inhabitata: hæcque via deſignatur in patriam pergentibus, ut mirabilis, cùm teara ſit oblivionis; quoniam inſigne miraculum: quòd in oblivionis terra, ſit memoria defunctorum.

DIDASCALIA PRIMA.

In Virgine defectus Maternitatis, ſolitudo ſolitudinis.

Virginis pectori ſaucio altera crux ſolitud.

1 SÆpe dixi crucem Virginis-Matris fuiſſe crucem Salvatoris; cuius diris doloribus uſque ad animam transfixa, ultra patitur dum ſola, anguſtia excedente vehementiſsimum dolorem, quem perpeſſa uti mater iuxta crucem.

Virg. 4. Æneid. v. 82.

Sola domo mœret vacua, ſtratiſque relictis,
Incubat, illum abſens abſentem auditque videtque.

Hæc maior & nova crux, qua transfoſſum matris cor, ex auditus dulcedine, & oculorum remanente amaritudine: equidem Dilectum audire nequibat; & quæ viderat, videbat, filio per mortem abſente, verùm præſente dolore.

Acci-

Martial 8.

Accipe chare puer noſtri monumēta doloris:
Hic tibi perpetuo tempore vivit honor.

Eſt ſolitudo exterior & interior. Illa corporis, hæc mentis. Illa ex carentia ſocietatis, hæc ex abundantia cognitionis: inveniturque in Virgine ſolitudo ſolitudinis; quoniam undique pœnis acriter ſepta, ac doloribus vallata, à ſolitudine in cruce doloris animæ (vehementià exceſsivi amoris) tranſivit anima uſque ad crucem ſolitudinis. *Sola ſine comite, ſola ſine teſte*: ait Ambroſius, in *Luc.* lib. 2. Bis ſola: in cruce, quia mater, crucis urgente dolore: extra crucem, quia ſine maternitate: ibi ſola ex filij cruciamine: hìc ex filij crucifixi morte: tranſitque ex ſolitudine in amplioris ſolitudinis anguſtias; quia in matre defuncto filio, defecit plane maternit s.

Ambro.

Unde duplex ſolitudo?

2 Huiuſmodi Simeon illi prædixit articulum, ſignas inter dolores animæ gladium. *Tuam ipſius animam pertranſib t.* Gladius ſolitudo eſt: unde Septuagint. *Iob.* 3. 14. pro *ſolitudines*, legunt: *Qui gloriantur in gladijs.* Eſt gladius Virginis corpori, & gladius animæ. Corpori in paſsione: animæ ex paſsione filij; ex queis ſolitudo matris, in arctiorem dolorem ſolitudinis: igitur ſi filium pati, extremam intulit corpori pœnam; filium mori, vulnus ultrà, quod tranſivit uſque in animam. Solam in cruce comitabatur maternitas, quæ aliquomodò levabat ærumnas: nunque anima gladium patitur, dum filius in cruce moritur; quoniam animæ vulnus, vivente amore, matrem coram filio vivere, ſed ſine maternitate. Si deſideratur in huiuſmodi argumento DD. ſenſus; vivendi Suarius, *Tom.* 2. *in* 3. *p. D. Thom. quæſt.* 35. *diſp.* 12. *ſect.* 3. Chriſtoph. de Vega, *Theolog. Marian.* part. 2. *paleſtr.* 14. *certam.* 11. à *n.* 1578. & Theophil. Raynaud. *D ptic. Marian*: 1. p. *punct.* 9.

Luc. 2. 35.

Eius anima intimè percuſſa.

Bernar.

3 Bernard. ſerm. 1. de *Virgin. Deipar.* n. 14. *Crudelis lancea* (inquit) *ipſius aperuit latus; ſed tuam utique animam pertranſivit. Ipſius nimirùm anima iam ibi non erat: ſed tua planè inde nequibat avelli.* Anima matris pro filij anima ſufficitur; quando in corpore eius vulnus impingitur, ſed non patitur: anima utique, ſed matris? Iam non eſt filius. Unde ergo ex illo vulnere animam pertranſit gladius? E dolore ſolitudinis, atque vehementi dilectione matris. Mater pro filijs animam ponit: Virgo, poſtquàm è vita filius exceſsit: animaque matris in vulnus exponitur, ne corpus mortuum crucifixi vulneretur; ut prævaleret amor, vel dum valebat ſolitudinis dolor: ſiquidem amoris dicit exceſſum: ſine maternitate, matris adimplere officium. Nequibat inde anima avelli, quæ quia non mortua cruciabatur morte. Morte filij & moriens vivebat ſola: & poſt mortem, filij carni inhæret anima; ut ex eius vulnere, vita prævaleret morti: igiter cùm ad filium totum pectus; pertulit propter illum vel ſolitudinis vulnus. Clariùs. Mors prævaluit in filij vitam; ſed non in Virginis animam; quæ adhærebat cadaveri, vel dum mater icta corde. Perſeverabat, quia non ſui, ſed ad filium tota erat: etenim quamvis dolorem patiebatur vulneris; perſeverabat, conſtans in officio matris. Ex morte filij totus dolor, quippe ſola vivebat. Ex corde Virginis totus amor, quoniam poſt mortem perſeverabat. Cupiebat pati, ut filij poſsi reſpondere amori. Poſtquàm conſumata paſsio, nullum vulnus, niſi ex morte ſolitudo: animaque eius percutitur, dum deſolata, filij latus perforatur; quoniam poſt mortem dolor, quem tullit pectoris amor: ſiquidem propter flagrantem exceſsivum amorem; conſtanter pertulit mortis atque matris ſolitudinem.

Quomodò ſine maternitate, plus quàm mater?

4 Gladius hic, amoris eſt; ut placet Maldonato: q. d. Simeon: *Tuam ipſius animam pertranſibit amor.* Hinc Vega, d. ex Bernardo, n. 1221. infit: *Eſt gladius Amor, qui Mariæ animam non modò confixit; ſed etiam pertranſijt, ut nullam in pectore virginali particulam vacuam amore reliquerit.* Amor gladius: perpropriè. Ultrà proceſsit in vulnere, anima matris applicita filij lateri: equidem in illa fecit vehementis amores ictus, quod in vulnus quippe vulnus, nequibat facere gladius.

Maldon.

Vega.

Quo vulnere anima ſaucio.

Mors feret, & tecum numquam comes ire recuſat.
Quid miſerā ſine te deſertā nate relinquis?
Anxia ſic Virgo ſecum.

Souſ.

Ut accinit Mellius Souſ. de *Paſsion Chriſt.* v. 969. Deſertam relinquit: ſi eſſet gladius, non dereſeret. Si moretur corpus, anima fugeret vulnus. Reſtabat ultrà quòd pateretur animus. Fecit amor, quod non potuit mortis horror: deſertamque reliquit in maiorem ſolitudinem; ut loco gladij tolerarent amorem igitur amore ductà, quamvis ſola, fecit flamma, quod anima pateretur vulnus lateris, cum dolore ſolitudinis. *Quomodò morte terreri poterat, cuius charitas fortis ut mors, imò fortior quám mors erat? Iuxta crucem Ieſu ſtabat, cu us mentem* (ait Guarr. ſerm. 4. de eius *Aſſumpt.* n. 1.) *do.or crucis ſimul crucifigebat; ſuamque ipſius animam tam multiplex pertranſibat gladius, quantis confoſſum corpus filij cernebat vulneribus.* Sic paſſa in corpore & anima ex compaſsione. Reſtabat ut eſſet vulnerata charitate, ſuffecto amore pro gladio. Mortuus eſt filius, & formata ſolitudo. Erat ſanè anima derelicta; cæterùm non vulnerata. Solitudo provenit ex deſertione: ſolitudinis ſolitudo ex deſertæ animæ vulnere. Huc amor duxit, ut ille ex dolore creſceret: animaque vulneratur in vulnere cadaveris Salvatoris; ut ſolitudinem ſummam pateretur ſolitudinis.

Guarr.

Vulnus ex vulnere filij lateris, & dolore ſolitudinis.

5 Hinc filius de crudelitate Synagogæ queritur; quia illi ſuſtulerunt vitam, & Matris-Virginis vulnerarunt animam. *Dederunt* (ait) *portionem meam deſiderabilem in deſertum ſolitudinis.* Portio pretioſa ac deſiderabilis plauditur Virgo Maria à Marratio, in *Polyant. Virgin.* Verùm quare ſi ſolitudo includitur in deſerto, ex carentia habitationis; Virgo dicitur adducta in deſertum ſolitudinis? In *Litter.* n. 24. hypallage, q. d. *In ſolitudinem deſerti*: quod quidem congruit Virgini pro filio Afflictæ: igitur inter tot gentes, ut videvimus, animæ erat ſingularis ſolitudo; tamquàm eſſet in deſerto. Aliquid altius latet, ni fallor, in huiuſmodi ſtylo. Solitudo cum deſerto deſignatur: ſi ſolitudo in deſerto continetur; erit ſolitudo duplex, quam patiatur Virgo-Mater, ut præ amore ex vi doloris vexet animam ſolitudo ſolitudinis. Sanè: hoc quippe cruciamen cogitatum ab amore. Eſt ſolitudo matris, dum filius moritur: eſt amplior ſolitudo, dum cadaver vulneratur. Prima ſolitudo, quia patitur corpus: in illa alia, quia patitur animus: diciturque Virgo-Mater non ſolùm derelicta in deſerto filij morte, ſed etiam in ſolitudinis interiori ſolitudine; quippè ſummè ſola, ſola, quando in cadavere filij fuit anima vulnerata.

Ierem. 12. 10.

Vnde illi ſolitudinis.

6 In angore captivæ Ieruſalem patet ſine morte huiuſmodi dira crux. Sic igitur clamat: *Ego deſtituta & ſola.* Utique ſola, ubi omninò deſtituta. Cur igitur addit in deſtitutione ſolitudinem, ſi ſola iam erat, perpetiens deſtitutionem? Erat ſolitudo exterior, erat interior & acrior. Erat ſolitudo carnis, erat etiam gravior cordis. Haud cogitabatur, aliam potuiſſe latere; ſed occurrit promptè in ſolitudinem animæ. Afflictio proceſsit ultrà: queriturque uti deſtituta & ſola; quia ſuſtinebat, quod nec cogitari quibat, cùm in maius atque vehementius cruciamen, in ſolitudine paſſa interiorem ſolitudinem. Primum internum demonſtrabat dolorem; quaſi ingenium nec vidiſſet, nec inveniſſet ſimilem. *Videte ſi eſt dolor, ſicut dolor meus.* Ita librat anguſtiam. *Poſuit me deſolatam: totà die mœrore confectam.* Ultrà dolor eſt. Similem non invenit; quippe ut ſuperior excedit. Poſuit deſolatam: reſtabat, quòd relinqueret ſolam. Erat ſolitudo externa, quæ non ſumma, quippe levabatur ab anima. Erat animæ vehementior, quoniam ſine ſe, ſe patitur: & ubi gravis dolor, quòd deſolata, maior deſtituta & ſola; igitur ſupererat animæ in acerbiorem dolorem; quòd anima pateretur animæ ſolitudinem. Idem accidit Eſther, ubi urgebat in dolorem magnæ anguſtiæ maior vis. Numini dicit: *Adiuva me ſolitariam.* Labor eſt, verùm non ſummus: ultrà poteſt procedere gladius. Dicit *Solitariam*: debuit in ſummum, addere ſolitariam & ſolam; ut vulnus perveniret uſque in animam. Ita ut canit Sidon. Apollinar. *Paneg.* 3. v. 340.

Iſai. 49. 21.

Thren. 1. 21. V. 13.

Et ſolitudo animæ?

Eſth. 14. 3.

Dividua ancipitē carpſerunt vulnera vitam.

Sidon.

7 Ergo ſcopo. *Deſtituta & ſola.* Solitudo ex amore, pendet à corde & ab animæ vulnere. A corde, dum anima deſtituta. A vulnere animæ, ſi fuerit ſola. Utrumque patitur Virgo, in ſolitudinis ſingulari deſerto. Ex morte filij vulnus acceptum amarè: ſed reſtabat aliud vulnus, etiam vulnerato corde; quod perveniret in animam, ut amor illam deſtitutam demonſtraret & ſolam: equidem ſi ſolitudo ex defectu vitæ filij, & ſolitudo ſolitudinis ex vulnerato cadavere; paſſa ſanè extremæ ſolitudinis dolores; quippe anima vulnerata vulnere vulneris. Dolorem *ſuper dolorem vulnerum addiderunt.* Vulnus ex morte filij, dolor ex vulnere. Ex morte ſolitudo cordis: ex vulnere ſolitudo animæ, ſolitudinem dolentis: aliumque dolorem & tormentum dirè impoſuerunt ſuper dolorem vulnerum; quoniam propter ampliorem vehementiſsimum cordis dolorem, ſolitudini addiderunt in anima ſolitudinem.

Vnde nõ ſolùm ſola, ſed deſtituta.

Pſ. 68. 27.

8 Deſcribit articulum Ioannes, Virginis in tractu paſsionis comes. Illa expreſſa in illo ſigno magno, viſo in cœlo, dum cruciaretur parturiens, ideſt, in cruce, qua filius moriens. Illa igitur quæ præ chariſmatibus, gratijs, prærogativis ac Virginis-Matris honoribus, amicta fulgebat Sole; cuius thronus ſplendida Luna, & in capite ſtellarum ſingularis corona. *Quò glorioſior, mentis martyrio vicinior: hauſit calicem, bibit paſsionem; ubi dolores ut parturientis* (ait Amadeus Lauſan. Homil. 5. de *Deipar.*) *ubi gemitus, ubi ſingultus, ubi ſuſpiria, ubi mœror, ubi horror, ubi agonia, ubi æſtus animi, ubi incendia, ubi mors morte durior;*

Quæſtã anima paſſa.

Amad.

ubi vita non tollitur, & mortis anguſtia toleratur. Quanta anima paſſa eſt! Stabat enim draco Synagoga coram illa. Doloribus ergo in cœlum ex hac vita peperit: *Et raptus eſt filius eius ad Deum & ad thronum eius; & mulier fugit in ſolitudinem.* En ſolitudo matris in cordis vulnerati pœnam; dum (eſtò cum doloribus) aliæ filios parturiant ad vitam: igitur ab illa prægnante filius oritur, ut cum dolore rapiatur. Sola remanet, dum filium parturit, ut catenatis laboribus, pœnas multiplicet; quæ quidem pungunt acerbè, dum filius à matre habetur, atque ſola relinquitur: equidem matris profundè tenerum ſauciatur pectus; ſi filius ortus & raptus.

Apoc. 12. à 5.

9 In cordis ergo ſolitudinem mater ſine filio adducta, ut viveret, ſi quibat, uti à cunctis deſerta; verùm ibi etiam dirè perſecuta eſt Synagoga: at ut haberet effugium: *Datæ ſunt mulieri duę alæ aquilæ magnæ, ut volaret in deſertum.* Grave argumentum occurrit, ut videamus in Virgine, de quo plus doluit. Iam dolore ex filij morte in ſolitudine erat: in quod igitur mater deſertum volat? Quænam ſolitudo apparet poſt ſolitudinem? Quis dolor poſt noviſsimum extremè dolorem? Solitudo ſolitudinis: ſolitudo animæ poſt ſolitudinem cordis. Mors morte dirior, dolorque dolore ſuperior; quo vita non tollitur, & anguſtia mortis ſine morte toleratur; ut ſaucietur anima, etiam poſt cordis inflicta vulnera: ſolaque Virgo in deſerto poſt paſsionem filij exponitur, dum eius morte in ſolitudine collocata deſcribitur; ut in vehementiore anguſtia, cogitetur ſola ſola: igitur ſi deſtituta in deſerto, quia filius in cruce raptus; plus ſola, quia poſt mortem corpus receperit vulnus. Erat ibi anima matris, quo locus vulneris: & in deſerto alia datur interior in vulnera ſolitudo; ut cordis & animæ matris videretur paſsio: equidem ſi raptus filij reliquit omninò ſolam; vulnus in pectore filij pertranſivit uſque in animam. Non ſat truculentiæ draconis vulnera matris. Solamen fuerat poſt mortem habere corpus; ſed *conſcidit vulnere ſuper vulnus*: denuòque collocatur in ſolitudine; quippe tunc ſine ſolamine. Sola ſola, ſolitudinem ſolitudinis conſtanter paſſa; quippe ex amore dolor ex vulnere multiplicavit vulnera. Apollon. Rhod. 1. *Argonaut.* v.296.

V. 14.

Patiebatur ſola, ſola.

Iob. 16. 15.

Mala cordi tribuit,
Doloribus dolores adiecit.

Apoll. Rh.

10 Pende. *Raptus eſt filius eius.* Si ex cruce per mortem raptus, iam non filius: ergo illa nequaquàm mater, extinctà inter utrumque relatione: quapropter in huiuſmodi ſolitudine, aſſerunt plures, Virginem fuiſſe ſine genitricis honore; eò quòd Chriſtus non manſit hic homo, ut ſic, neque humanitas ex qua. Suarius loc. cit. aſſerit, quòd hæc relatio utrique manſit in triduo; equidem vel illo in tempore conſtabat ille, quem Virgo genuerat, habens etiam poſt articulum mortis, unitas ſibi partes humanitatis. Mihi videtur (relictà metaphyſicà quæſtione; quippequàm ſine exemplo, quod ſingulare) ad perſiſtentiam relationis ſatis eſſe, quòd aliquando originem traxerit à genitrice. Unde poſt Chriſti mortem & reſurrectionem, Act. 1. 14. mater plauditur: *Maria matre Ieſu.* Unde nunc mater in cœlo, ſi defeciſſet relatio? *Quod attinet ad matris dignitatem* (infit Suar. d. n.3.) *certiſsimum eſſe, eam perſeverare in Deipara, imò numquàm fuiſſe imminutam etiam in triduo; quia licet tunc non eſſet hic homo, quem Virgo genuerat, verè tamen erat ille, quem genuit Virgo, habens unitas ſibi partes* (alius nec habet, nec poteſt habere) *illius humanitatis: quod ſatis eſt ad hanc matris dignitatem conſervandam.* Eximius Doctor dicit de matris dignitate & honore: ego autem de verà inextinctà & inextinguibili maternitate; quia ſufficit ſemel à Virgine fuiſſe: qua de cauſa Anſel. de eius *Excellent.* cap.4. dicit: *Semper mater, quia numquam ſine ſobole.* Idem Rupert. lib. 4. in *Cantic.* Athanaſ. de *Deipar.* & Althelm. de *Laudib. Virgin.* Carm. 1.

An triduò morte Chriſti, Virgo ſine maternitate

Suar. Numquã extincta relatio.

Anſelm.

Sobolem generabis Virgo perennem.

Althel.

11 Hinc adverſus Didaſcaliæ propoſitum videtur validum argumentum. Si ſemper Virgo floruit entitate glorificà matris; unde huius defectus illi ſolitudo ſolitudinis? Facilis expoſitio, ut clareret ſolitudo in cordis animæque deſerto. Erat Chriſti humanitas ſumpta à matre; ſed non ut à matre ſumpta. Sumpſerat à matre, in ſimilitudinem hominum factus: in cruce poſtquàm à vita raptus, non erat homo verus: aliàs mortuus non fuiſſet, ſi humanitas, ut acceperat à genitrice, conſtaret. Unde hoc in articulo maius ſolitudinis tormentum; quòd Virgo filium haberet, & non haberet ut filium. Quod futurum in morte, Chriſtus Dominus expreſsit in ſine vitæ. *Dicit matri ſuæ: Mulier ecce filius tuus.* Verbum grave, penetrabilius omni gladio ancipiti, pertingens uſque ad diviſionem animæ. *Plus quam gladius fuit ſermo ille*: ſubdit Bernard. d. Plus quàm gladius? In morte filiorum aliarum fœminarum non conſtat humanitas ab illis ſumpta; nec ut ſumpta. In morte Chriſti, etſi non ut Virgo genuerat; quam genuerat, ipſa humanitas perſeverabat. Quia ab illa aſſumpta, atque poſt mortem etiam unita Verbo, quam aſſumpſerat, conſtabat; mater erat. Quia erat, non ut aſſumpta à Virgine, maternitas non erat in matre: hæcque ſolitudo dicitur animæ gladius, poſtquàm morte raptus Chriſtus; quoniam animæ ſoli vehementiſsimum cruciamen, quod propter filij rapti victricem mortem, Virgo haberet & ſimul non haberet Virginis maternitatem. *Ecce filius tuus*: en gladius. Poſt ſolitudinem cordis, iſthoc in verbo, alia animæ introducta ſolitudo. Erat deſtituta, & apparuit ſola ſola: igitur quæ verè mater, quia raptus filius, non mater à filio cognoſcitur, ſed ut mulier. Patet, quod ſuper gladium gladius: vulnus etiam ſuper vulnus: ſolitudo animæ in interiora deſerti, dum ſignatur mulier, quæ etiam tunc vivebat mater; ut defectus maternitatis eſſet in Virgine ſolitudo ſolitudinis. Dicam ex Ethnico, varijs in locis.

Quomodò in triduo fuit mater, & non fuit mater?

Ioan. 19. 26.

Bernar.

Duo funera matris;
Oſtendens matri brachia læſa.
Anxia mater, materno tacta dolore,
Si modò mater erit.
Iſta per humanas mors venit acta manus.

Propert.

12 Elucet modò, cur ſi mater, quia filium peperit; eò quod raptus filius, ut eſſet in gemina ſolitudine, dumtaxat ſignatur mulier. *Mulier fugit in ſolitudinem: datæ ſunt mulieri alæ duæ, ut volaret in deſertum.* Volavit in ſolitudinem ex filij raptu, quia mater. Volavit in deſertum ex filij raptu, quia non mater. Mater, quia humanitas, quam genuerat, etiam poſt mortem perſeverabat. Non mater, quia non perſeverabat, ut genuerat: ſignaturque quæ mater, tantùm ut mulier; ut ſola ſola noteſceret cruciaminibus paſsionis, vivens in deſerto & deſerto ſolitudinis: equidem ſolitudo ſolitudinis Virgini, eſſe ſine maternitate & matrem eſſe. Iam intelligi poteſt Sophronius apud Hieronym. Tom. 4. *Epiſt.* 10. dicens de Matre-Virgine: *Toto corde & animà amatus: ab ea ardentiùs, cuius & Dominus erat & filius. Præ nimio amore, in loco quo ſepultus dicitur, interdùm habitaſſe eam credimus; ut paſceretur amor.* Idem Metaphraſtes, & Alapid. in *Matthæum* 27. 61. Non cogito corporee ita accidiſſe, ſed tantùm corde, quin præ nimio amore à dilecti ſepulchro recederet cogitatio. Dicit receſſum David: *Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei.* Cor ſuum dicit, & cor defecit? Cor defecit ſi non habet: & deficiente præ dolore filij pulchri corporis ſpecie, cor habens, & ſecum vivens, eſt, vivitque ſine corde; quippe mortuo cordis ſummè dilecto, toto corde cogitatio habitabat in ſepulchro.

Ubi ſup. v. 6. & 14.

Ex hoc articulo, ſolitudo ſolitudinis.

Sophr.

Pſ. 72. 26.

Corde toto erat in filij ſepulchro.

Sola mihi nunc videor, quia ille hinc abeſt,
Quem ego amo præter omnes.

Plaut.

Alia quædam dicebat apud Plaut. in *Amphitr.* Act. 2. ſcen. 2. v. 10. Quid ſi mortua vita, ubi cordis vita mortua? Quid vel ad ſuſpiria levamen vitæ, quando ad vitam ſine corde? Amore reſpirat, corde vivit, & amat: nec ſic vivitur; quippe cor amore flagrans perducitur, in quod fertur: corque matris in pectore ceſsit è loco, quippe habebat in ſepulchro, quo habitabat; etenim non ſecum, nec ſui, ſed Deus cordis eius erat. Sola erat ſine comite, ſola erat ſine teſte: & in centro cordis vehementiſsimè amantis, quærebat ſocietatem ſolitudinis; ut magis eſſet ſola, dum non abſentis ſuſtinebatur abſentia: igitur amor in pectus pulſabat; quamvis declinaverat electus atque tranſierat. Sola erat, quoniam quem ſuper omnia diligebat, aberat: & ſi ſola ſine comite & ſine teſte eſſet alia; cum comite & teſte, Virgo-Mater erat ſola.

13 Subit ſcrutinium cogitabundæ mentis vivax exemplum huiuſmodi ſingularis ſolitudinis. *Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ* (dicit Lucas) *& hæc vidua erat* (Græc. *Hæc ſola erat*) *& turba civitatis multa cum illa.* Ne mireris lectionem *Sola* pro *Vidua*; nec è contra, quippe frequens apud AA. ſacros & Ethnicos. Aſtruerem, ni fusè feciſſem, *Tom.* 1. *T.* 6. *à n.* 52. *& Tom.* 4. *T.* 8. *à num.* 27. Perpende modo ſacramenta auctoritatis. *Ecce* (uti ait Novarin. hic.) *particula admirationis eſt: novum aliquod indicat.* Novum ſanè & admirabile, quòd defunctus adoleſcens efferretur; cui iurè reſurrectio debebatur, in tanti præmium amoris, cùm efferretur mortuus, quia placuit eſſe mortalis. Quiſnam ille? Filius Dei? Planè: *Filius unicus matris ſuæ.* Solummodò congruit articulus Virgini-Matri; igitur unicè in illa & ex illa natus eſt: ſolummodòque iure ei reſurrectio debebatur; qui divina virtute unicus matris ſuæ in hunc mundum Deus & homo naſceretur. Floridè nervoſèque Mellius Souſa, d. à v. 1138.

Luc. 7. 12.

Vidua pro ſola fœmina, & econtra.

Novar.

——Corpus erat totum plorabile nobis.
Spiritus licèt inde receſſerit almus,
Cœloque miſſus; adhuc veſtigia corpus
Divinæ virtutis habet, divinaque ſedes
Incorrupta manet, vitæ reparabilis ſignum.

Souſ.

Dux hominũ, genituſque Deo, totius & orbis
Arbiter, exigui dignatur ſede ſepulchri.
Hoſpes erat tumulo: nec enim manſura fuere
Mẽbra loco, ſuperas habitura in ſæcula ſedes.

En quid *Ecce*: mirabile & novum, à ſæculo non auditum.

14 En mater, quæ plus quàm fœmina, quippe unicum pepererat virginitate fœcundà. *Quæ unici filij vel labore vel morte frangatur* (inquit Ambroſ. lib. 5. in *Luc.*) *cui tamen viduæ gravitatis meritum exequiarum turba conciliet: & ut hanc viduam, populorum turbà ſeptam, plus videri eſſe quàm fœminam; cui reſurrectionem unici & adoleſcentis filij ſuis lachrymis meruerit impetrare.* Lucet etenim plus quàm fœminæ, Matris-Virginis auctoramen. Aurora profectò excitatura Solem. Modò ſcopo. *Hæc vidua erat: hæc ſola erat.* Quomodò ſola, ſi in funere filij turba civitatis multa cum illa? Labore vel morte, ſed utroque, erat fracta filij funere: ſolaque erat turbà comite, ac multitudine teſte; quoniam cùm multitudine ſocià non erat animus, ſed ubi filius plorabilis iacebat mortuus. Pendet ſocietas non à ſocietate ſed à corde: unde lib. 3. in *Cantic.* dicitur à Ruperto: *Inter turbas poteſt eſſe ſolitudo.* Cor non eſt, ubi deficit cor. Non eſt ibi ubi non ſit. Eſt in ſolitudine, ſi ſocietate cor longè. Eſt ubi ducit meditantis cogitatio, minimè ubi ad ſocietatem ſepit innumera multitudo: materque illic dicitur ſola, ubi turba civitatis multa cum illa; quippè cor matris non erat illic, ſed ubi labore & morte iacebat filij cadaver. Crevit ſolitudinis labor, quo videbatur mitigari dolor: etenim ſi graviſſimum cordis cruciamen, per filij dilecti & unici mortem, laborque ex anguſtia ſolitudinis; maius profectò, ſi cor ſolum inter comites.

Ambroſ.

Unde Virgo in ſolitudine, ſi gaudebat ſocietate?

Rupert.

15 Seſe lamentatur Ieruſalem, quia vulnera ſolitudinis pervenerunt uſque in cor. *Ego deſtituta & ſola: & iſti ubi erant?* Biblia antiqua: *Et iſti ubi hic erant?* Hebr. *Ego relicta ad ſolam me. Iſti undenam, & ubinàm ij?* Exilit illicò dubium. Unde cum gemina ſolitudine, deſtituta & ſola; ubi multitudine tot ſociorum comitata? Erat in ſolitudine, & extrema ſolitudine cum turba comite; ut varietate cruciaminum, dolor perveniret ad extremum. Sola non eſſe videtur, quàm ſocia multitudo comitatur; ſed inter turbas eſt ſolitudo, quippe gemina vehementior, ut in animæ amaritudinem adoleſcat gravis dolor: diciturque ſolius ex comitibus, magis ſola: quippe ſi pœna, ſolitudo in ſolitudine, amarior prorſùm ſolitudo ex ſocietate. Sola eſt, quæ in conſortium ſocietatem non habet. Socios ibi deſtituta non cognoſcit: *Et iſti ubi hic erant? Ubinam iſti?* Socij næ in corporis ſocietatem, ſed nequaquàm in cordis ſolitudinem; quippe cordis pœnam comitari nequibant, quam cognoſcere non poterant: & inquirit de illic ſtantibus, quaſi de abſentibus; quoniam ſi ex illis haud ulla ſocietas dolenti cordi, illic comites non erant comites ibi. *Ubi iſti hic erant?* Non ſunt, vel præſentes hic. Appropinquaverunt, ſed exteterunt. Non erant hic, quippe à corde longè cor: de præſentibuſque in ſolamen ſolitudinis inquirit; quoniam ad ſolitudinem comites habuit, quaſi non haberet: ſolaque manſit ad cruciamina doloris; igitur ſociata nequaquàm erat cum illis. Sunt iſti hic, ſed hic iſti nec erant, nec ſunt. *Qui iuxta erant, de longè ſteterunt.* Iuxta in corpore, longè à mente. Quærebat, qui cognoſcerent ſolitudinis cauſam, inter eos qui comitabantur ſolam. Non cognoſcebant, nec noverant: præſentes ibi non erant: ſolaque dicit, *Ego derelicta ad ſolam me*; ſiquidem non cogitabant, quanta & quænam patiebatur in ſolitudine cor. *Longè aberant & ibi erant*: ait Auguſtin. in *Ioann.* Tract. 48. Videbant ſolam, ſed non eius ſolitudinem; quoniam doloris tanti non habebant cognitionem: qui comites, comites eſſent, ſi dolentes cognoviſſent: crevitque ſolitudo ſocietate, turba comite, ac multitudine teſte; quippe quæ derelicta, & deſtituta, fugit iterùm in deſertum ipſa ſola.

Iſai. 47. 21.

Maluẽd

Ex ſocietate, in animo acrior cordis ſolitudo.

Pſal. 37. 13.

Auguſt.

16 Hoc eſt *deſertum ſolitudinis* Virginis-Matris, in filij dilecti amaritudine mortis. *Quare tu ſolus, & nullus eſt tecum?* Ita dicitur, ut ſolitudo Davidis ſignificetur. Eius videbatur ſolitudo, cui ſocius nemo. Reſtabat acrior in ſolitudine dolor, quia cauſa maior: etenim ſi ſolus, quia nullus ſocius, & corporis comes; acerbior ſolitudo in pectore Matris-Virginis: equidem non ſolùm morte filij, paſſa acerbè ſolitudinem moleſtam ſolitudinis; ſed moleſtiorem præ amore in deſerto ſocietatis.

Ieremi d. 1. Reg. 21. 1.

Cor afflixit Virginis deſertum ſocietatis.

Ipſa levi fletu removens pendentia membra,
Diriguit facie, quam non ſtupefecerat hoſtis;
Mulier ipſa ſuæ cuſtos eſt ſola figuræ.

Manil. 5. à v. 564.

In huiuſmodi portentum invitamur à Davide, quia ſingularis ſcena theatri. *Venite* (ait) *& videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram*: igitur moriens, & debellans aereas poteſtates, abſtulit bella uſque ad finem terræ: arcum contrivit, arma confregit & ſcuta igne combuſsit. Quapropter invitat, ut videant homines (uti legit

Pſ. 45. 9.

gic

git Hebr.) *quàm admiratione digna, deſignaverit in terra.* Quænam? *Prodigia.* Quæ prodigia fomites admirationis? *Afflationes, afflictiones, ſolitudines*: hic vertunt Lorin. & Maluenda pro prodigijs. Prodigia ex morte ſua, quamvis partà victorià, afflictiones atque ſolitudines? Utique in corde & anima, de mortui Virgine-Matre, ex amore & ex dolore: equidem cùm excederet ſphæram cruciaminum; matrem haſce ſolitudinum afflictiones pertuliſſe, fuit prodigium. Non afflictio nec ſolitudo dicitur, ſed multiplices ſolitudinum afflictiones; ut fulgeret patientiæ ſpeculum, & conſtantiæ ſingulare prodigium: igitur non ſolùm tulit & pertulit ſolitudinem ſolitudinis, ſed etiam ſolitudinem individuæ ſocietatis. Hinc *afflationes* deſuper miſſæ, & portentum amoris, vulnerata charitate: etenim dum non plus ultrà in dolore deſignabant tormenta; ad amoris conſtantiam plus & ultrà. *Regnabat in illa* (ſubdit Anſelm. d. *cap.* 5.) *ſpiritus vitę, ſpiritus dulciſsimi filij, pro quo moriente torquebatur, & tantoperè torquebatur.* Vitaliter ſecum habebat mortuum, nec aliud in gloriam, etiam cœlo vel orbe cogitabat, niſi filium. Succinit Crucius:

Hebr.
Lorin.
Maluẽd

Fuit patientię ſpeculũ, atq; conſtantiæ prodigiũ

Anſelm

Ar ſit felle dolor, mentem cura anxia torſit:
Quid ſine te cœlum, tellus quid in hoſpita prodeſt?
Deſerat oſſa vigor, lacerẽt pręcordia morſus;
Tu vires, animamq; mihi, tu lumina reddes,
O mihi ſola mei vitalia robora cordis!
Sat mihi te felix vivo.

Cruc. in Pſ. 72.

DIDASCALIA II.

Virgo-Mater iuxta ſtipitem crucis, filij clarum ſpeculum paſsionis.

1 QUùm de Virgine Matre iuxta filij crucem loqui cupio, etiam loquendo ſileſco; quippe nec perveniunt verba, ubi devenit anguſtia. *Nihil eſt enim difficilius* (inquit Senec. de Conſolatione ad *Polyb.* cap. 22.) *quàm magno dolori paria verba reperire.* Si verba in ſignum cogitationum, ad doloris cogitamen non eſt verbum: etenim cùm animæ pœna ſit extra angoris menſuram; confortata eſt & non potero ad eam. *Ecce eris tacens & non poteris loqui*: dixit Gabriel Zachariæ. Dolor animæ fuit huiuſmodi cruciamen, excedens nimia acerbitate dolorem: igitur ſummus, pertranſire pœnam uſque ad animam; nec poſſe dicere pœnam. *Tacens, & non poteris loqui.* An quod ſupponitur, regeritur? Nullo modo. Ubi verba dolori non paria, dolor dicitur ſilentio: at cùm nec ſufficiat ſilentium, ut exprimatur cordolium; dicitur Zachariæ, *tacens non poteris loqui*: igitur inter cruciamina, quæ validè torquent viſcera, gravius dolenti cordi; præ dolore dolorem nec poſſe dicere, nec tacere.

Senec.

Luc. 1. 20.

Dolores Virginis nec poſſunt dici nec taceri.

Subſtitit ingenium, dolor artibus obſtat.

2 Dolores Virginis à Ioanne debebant referri, iuxta illam dolorum comite; ſed nihil dicit de pectoris icti iuxta crucem doloribus, etſi transfixum gravi vulnere pectus: indicat grave, ad lumina matris filij expoſità cruce. Tacuit, nec tacendo quivit loqui; ut cogitaretur ſic, quàm graviter matris vulneratum cor. *Stabat iuxta crucem Ieſu mater eius*? Quid. Dolorum matris immemor, ſed maior vulnerum dolor: equidem acriora vulnera in anima ſaucia; cuius dolores nec ſilere Ioannes valuit, nec dicere potuit. Innuit aliquomodò Laurent. Iuſtinian. *Certabant in pectore Virginis* (infit de *Triumph. Chriſt. agon.* cap. 18.) *affectus amoris, doloris & admirationis.* His profectò expoſuit verbis, quæque myſteria latentia in auctoritate ſilentioſa Ioannis: equidem ſi Virgo amore, & dolore & admiratione percutitur; totum condolenti cordi in compaſsionem exponitur. Amor, quia *Mater*: dolor, quippe *iuxta* filij *crucem*: denique admiratio rutilat; quoniam *Mater iuxta crucem Ieſu ſtabat.* Sic elucet, iuxta Souſam de *Chriſt. paſs.* v. 925.

Ovidio, epiſt. 21 v. 195.

Ioann. 19. 25.

Quanti, quæ, & ex quo?

Laurent. Iuſtin.

Quæ ſenſit miſeranda parens, cùm mœſta videret
Inſontis pœnas, hominum commiſſa luentis.
Quam dolor ægra tibi transfixit pectora Virgo!

Mell. Souſ.

3 Amor ergo filij perfert in cruce dolorem, igitur propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem. Tota in illo amoris flamma, quia totus vulnera. At quid matri ex dira cruce? Dicam ex Profano, 13. *Metam.* fab. 2.

Tu quoque vulnus habes. At te quia fœmina, rebar
A ferro tutam, cecidiſti & fœmina ferro.

Ovid.

An quia ferro filij? etiam quæ filius paſſus, pertulit corpore. Dixi fusè, *Tom.* 7. *T.* 8. *D.* 6. Verùm mortem acriorem ſine morte toleravit, quippe non cecidit. Ille carne, illa corde, & invaluit dolor, quia mors filij morte amarior; & ex vulneribus quæ in filio ex amore vidit, uti mater, etiam ex amore

Quomodò in filij cruce confixa?

re

Theoph. Rayn.

re vulnus habuit. *Ex abyſſo abyſſum invocante, duæ dilectiones in unam convenerant* (ait Theophil. Raynaud. *Dyptic. Marian.* 1. p. punct. 9.) *& ex duobus amoribus factus eſt amor unus: in tabernaculo illo duo videres altaria: aliud in pectore Mariæ, aliud in corpore Chriſti. Duos ſimul in una cruce confixos, matrem & filium cognoſce.* Mirabile prorsùm; unius crucis præ amore, & filio & matri tormentum. Aſtruit etiam Arnoldus de *Verbis Domin.* tract. 4.

Arnold.

Illa ipſa externa crux, qua Chriſtus pendebat, fuit crux matris, ubi confixa hæſit. Eadem Cardin. Viguer. *Chord.* 7. à cap. 10. Videtur in Calvario, quod pridem cum Rege Hai in propudioſo patibulo. *Regem*

Ioſue, 8 29.

ſuſpendit in patibulo. Septuag. *Xylon didymon*: ideſt, in gemino ligno, ſeu geminà

Malued.

cruce. Adi Serar. hìc p. 2. *quæſt.* 10. Alij apud Maluend. *Suſpendit in arborem*, quæ regi ſuſpenſo crux; uti dicitur, ibid. *Depoſuerunt cadaver eius de cruce.* Unde ergo gemina, ſi crux una? Præ amore & dolore,

Crux Chriſti Virgini crux.

queis duo pendebant ex una cruce. Illa pectori, illa corpori. Illa carni & illa menti. Ex duobus amoribus unus conſtructus eſt amor: ex unius doloribus duplex dolor: & quæ crux dumtaxàt una, meritò dicitur gemina; quoniam quos in cruce filius patiebatur dolores, præ amore inter utrumque dira crux matris.

Ovidio, d. 11. 8.

——*Dolens fuit cauſa dolendi.*

Duo fixi in ligno gemino, matre ſcilicèt cum filio. Illa ipſa, qua filius pendebat, crux externa; erat lignum, cui mater affixa: ille patiebatur crucem; illa ex dolore crucis, crucis dolorem. Filius dolens matri fuit cauſa dolendi: & quæ utrique una, crux deſignatur ut gemina; quippe per utriuſque unum amorem, dolor crucis crucifixi extendebatur ad matrem.

Galat. 2. 19.

4 *Chriſto confixus ſum cruci.* Non alia crux Chriſti, & alia Pauli; ſed in eodem duo crucifixi fuère ligno, ut Pauli in crucifixum ſplenderet dilectio: quandoquidem modicè cor creviſſet in amore; ni eſſet Pauli, quæ crux Chriſti. Cauſam oſtendit, qui

Verſ. 20

vehementer diligit. *Vivo autem, iam non ego, vivit verò in me Chriſtus.* Ni eſſet in geminis eadem crux, diversà vità utriuſque viveret cor. Ubi unica vita, crux nequit eſſe diverſa: crucique Chriſti figitur, qui crucis amore moritur, atque crucifixi obſequio; ut vita Ieſu manifeſtetur in illo. Eam-

Eadem crux & vita Chriſti & Pauli.

dem aſtruere intendit utriuſque crucem, propter vitalis halitus identitatem. Una crux erit, ſi per crucem vità Ieſu-Chriſti vixerit: *Vivo*que dicit Paulus, ſed *iam non ego*; quippequàm per ipſam crucem Chriſtus vivebat in Paulo. Pende. *Si quis vult poſt me venire* (*dixit Magiſter cœleſtis)

Matth. 16. 24.

abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam & ſequatur me. Non ſolùm diſcipulus, ſed inſignis diſcipulus eſt Paulus: cur igitur non ſuæ ſed cruci Chriſti eſt affixus? Semetipſum etiam in cruce abnegavit, ut ſupereminentem dilectionem oſtenderet. Si propriam crucem in crucem tolleret Paulus; pateretur in cruce, ſed non quæ Chriſtus. Eſſet ſanè in amore dolor; verùm in dolore non eſſet eximius amor: & cùm alij diſcipuli crucem ſuam, Paulus Chriſti fert ut propriam; quoniam propter amorem conceptum flagranti corde, fecit propria quæ Chriſtus paſſus in cruce. Haud ambigi valet, quia teſtimonium perhibet: crucem Chriſti ſuam meritò ſignat; igitur ſtigmata Ieſu in proprio corpore portat. Quid

Ubi ſupr. v. 17.

in Virgine maternum pectus, ſi ita paſſus eſt diſcipulus? Plus utique paſſa: ſed unde nota? Ex intenſiore dilectionis flamma, qua

Arctiore vinculo Virginis.

fixa cruci; Paulo Chriſti vità gaudente, plagiſque utriuſque exprimentibus amorem: igitur propter amoris atque doloris diſcrimen; Chriſtus vivebat in Paulo, ſed Virgo-Mater tantùm vivebat in filio.

5 Duorum tunc Cherubim præ ſe ferebatur imago, quippequàm reſpiciebant ſe mutuò: propriùſque in ſententia Ar. Mon-

Ar. Mont.

tani, *lib. Noe*, titul. de *Propitiator.* dicentis: *Duo Cherubim, in ſimilitudinem maris & fœminæ.* In cunctis ſimiles ad ſpeci-

Imago Amoris cum Anterote.

men amoris. De Amore & Anterote accinit Otho Vænius. *Emblem.* 5.

Oth. Væn.

Sume meas, ſumam ipſe tuas, mea vita, ſagittas:

Non aliter noſter conciliatur amor.

Quomodò ſagittæ mutuò, dicemus infrà. Modò inquirendum quid ex Davide Virgo

Pſ. 37. 3.

dixerit gnato, pendenti è ligno. *Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi.* In vulnera immiſſa Chriſto iacula à furente Synagoga. Quomodò igitur illa vulnera in matre, quæ filius patiebatur in cruce? Unde percuſſe-

Ubi unus amor communis dolor.

runt matris pectus, quæ patitur filij, corpus? Ingenio amoris. Filij crux erat crux matris: ſagittæque infixæ filij corpori, per vulnera patent in genitricis pectore; quoniam ubi unus amor, communis etiam ſagittarum dolor. Vide loc. cit. *n.* 5. alio acumine. Dicitur etiam emphaticè à Davide, qui malignitatem præſenſerat Synagogæ. *Ecce peccatores intenderunt arcum: paraverunt ſa-*

Pſ. 10. 3.

gittas ſuas in pharetra; ut ſagittent in obſcuro rectos corde. Corde rectos, videntes in rectitudine legis & cordis? Intende, quid ali-

Pſalm. 63. à 4.

alibi de his malignantibus dixerit. *Intenderunt arcum, rem amaram; ut ſagitent in occultis immaculatum.* Crucem Chriſti innuit, quippe ad illam, iuſtus autem quid fecit? Profectò: verùm ſi dicit, in ſagittarum ſcopum, unum perfectum, immaculatum; unde plures recti corde, his ſagittis vulnerati? Quia Mater ſagittas ſibi ſumpſerat, quibus Synagoga Chriſti corpus vulneraverat. Modò ſagittarum, uti amor,

Virgo vulnerabatur in filio.

non eſſet dolor communis; haud quaquàm ſaggittæ eſſent in pectore matris: & ad vulnera ſignantur recti corde eodem tormento; quippequàm Virgo-Mater vulnerabatur in filio. Cogita meditatam à malignitate pœnam. *Intenderunt arcum, rem amaram.* Ut floruit utriuſque cordis amor, utriuſque inolevit dolor: igitur corporis Chriſti ſagittæ, propter amorem; converſæ ſunt, ac reflexæ in matris amaritudinem.

Cant. 1. 6.

6 Ipſa iurè queritur. *Filij matris meæ* (dicit hoc in articulo, uti placet Novarino, in *Umbr. Virgin.* Excurſ. 123. n. 1155.) *pugnaverunt contra me.* O dulcis Sponſa, à Sponſo filio dilecta! Contra te Sinagogæ filij, quando? Illo in tempore quo filium

Laurét. Iuſtin.

tuum ſuſpendit in ligno. *Fuit clariſſimum ſpeculum paſſionis Chriſti* (ſubdit Laurent. Iuſtinian. d.) *& perfecta mortis eius imago.* Contra illam utique pugnarunt, dum filium crucifixerunt: etenim quaſi in perſpicua ſpeculi claritate, videbantur in illa vulnera Chriſti. Contra illam, quia quodlibet filij vulnus, matris pertranſibat pectus. Bi-

Crux eius ex cruce illius.

bit filius calicem, & etiam mater calicis hauſti acerbam amaritudinem. Filio bibente de torrente, & calicis dirà pœnà, *Fæx eius nequaquàm exinanita.* Dira in cruce at-

Pſal. 74

que iuxta crucem, crux. Fæx calicis inclinata ex hoc in hoc: igitur hauſit in paſsione Virginis pectus, quicquid ad vulnera in mortem hauſerat filius. Hinc in calicis fun-

Ibid.

do, vinum merum plenum *miſto*: equidem in amariſsima calicis acerbi fæce, ac doloroſa paſsione; tota filij amaritudo fuit communicata matri.

——*Geminis cyatho dat amoribus uno,*

Haud inter miſta dulcia amara vice.

Totum amarum, atque inter gnatum & genitricem diviſum: igitur pectus perfoſſum

Oth. d. 7.

Virginis-Matris, erat clarum ſpeculum crudeliſsimæ paſsionis. Profectò quidem: verùm quomodò vivens mortis filij præ ſe ferebat imaginem? Bernard. in eius *lamen-*

Bernar.

tat. n. 8. inquit: *Ibi ſtabat dolens, ſævo dolore confecta. Mortua vivens, vivebat moriens. Moriebatur vivens, vivebat moriens: nec mori poterat, quæ vivens mortua erat. Opthabat mori.* Grave ſanequàm vulnus, ſignatum implicationibus: diciturque mor-

Sine vità vivebat, & quomodo, & quare?

tua, filij circumſpiciens vulnera; quia dolor filij ſuſpenſi in cruce gravabat, & præ dolore ſine vita vivebat. Ad amuſsim amoris eran pondera cruciaminis: morteque vitali dicitur, quàm gravia in pectore patitur: igitur mors in vita, mori velle; & filio moriente in cruce, dolore non poſſe mori. Erat vulnere amoris transfixa, atque vulnerum dolore uſque in animam transfoſſa. Vibebat? Vita peribat; & moriebatur, quoniam vita conſtabat: equidem ita viventem deformarunt cruciamina; ut mortis eſſet mater imago viva. Dolor, ut ſuccinit Statius, 2. *Achill.* v. 69.

Statius.

Scrutatur, ſi qua veſtigia magnæ

Virginis, aut dubia facies ſuſpecta figura.

7 Sic ſpecioſum formà præ filijs hominum crux fœdaverat. Sic pulcher. Ieſu in cruce vultus erat.

Queis te ſemianimẽ, Virgo gratiſsima cœlo,

Ante crucem nati referã, luctumque ſilentẽ,

Viſceraque immenſi gladio transfixa doloris?

Souſa.

Quid dicendum? Sicut nec diviſus amor, ſimul nec diviſus dolor. Mater, quia plus diligebat, plus doluit; etenim amoris magnitudo paſsionis fomenta ſuaviter intulit.

Circuſtãlis dolorum in ampliſſimum dolorem.

Plus doluit, quia plus dilexit: plus dilexit, quia plus cognovit: pluſque cognovit, quia dolores crucis filij iuxta crucem ſuſcepit. Cognitio ex exemplaris imagine, amor dignitatis crucifixi cognitione, dolor ex utriuſque ſaucio pectore: igitur anima undique fuit repleta amaritudine. Hocne iuxta crucem crux? Acrior eſt.

Ovid. 1. Remed. v. 295.

Artibus innumeris mens oppugnatur amãtũ.

Dolor ſanè pervenit in culmen, modò percuſſerit mentem. Iam *qui videbat ſummi*

2. Mac.

Sacerdotis vultum mente vulnerabatur: facies enim & color immutatus declarabat internum animi dolorem. Haud aliter in filio & matre: & hac vulneratà mente, cognito Sacerdotis ſummi in cruce interni animi dolore; quippequàm ut intenſiora eſſent & extenſiora vulnera etiam patientis cognoſcebat interiora. At quodnam mentis Virginis vulnus, in cruce pendentis cognoſcere filij pectus? Elucet,

——*Quid chara natanti*

Mater in ore tibi eſt.

8 Dicit Arnoldus, d. cap. 6. *Cogitatio-*

Prop. 4. Eleg. 7. verſ. 17.

ne in matre, amplius quàm in ſe ipſo pati videbatur. Patiebatur crucis dolorem, & etiam crucem patiebatur matris iuxta crucem: equidem cùm illam videret ex paſsione pati; magis quàm crucis cruciatus, patiebatus quos ex paſsione ferebat Virginis pe-

pectus: ita ut plus ſentiret ex compaſsione matris, quàm ex paſsione ſævisſima crucis. Prædixit Simeon, ut de filio in matrem direxit eloquium. *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Quid & quorsùm *ipſius*? Quomodò ipſius filij, ſi ex paſsione filij dolores matri? Chriſtus in cruce patiebatur tenerrimà conditione mortalis corporis: ex haccine paſsione in anima paſsio Virginis: unde igitur ſi anima matris & filij corpus; erit anima ipſius? Ad utrumque devenit ex cruce gladius: igitur in anima filij ſævisſima pœna, quam patiebatur genitricis anima. Videbat Virgo filium patientem, ac ex paſsione dirum habebat cruciamen. A filio patiente videbatur patiens Virgo; intimèque cruciabatur cordolio, oblitus vulnerum crucis, reſpectu vulnerum matris: & dum anima Virginis patitur filij cruciatus, non tantùm dicitur anima, ſed filij *ipſius*; quippequàm ſi mater filij vulnerata paſsione, filius vulnerabatur ex matris animæ vulnere.

Luc. 2. 35.

In filij anima pœna, quę erat in Virginis anima.

9 Cognitio hæccine fuit matri acerbior amaritudo in pœna; ita ut hauriretur, & exhauriretur à corde amaritudo amariſsima. Ex eius dolore filium dolore cognovit, & quaſi non dolens iuxta crucem adſtitit: tuncque mentis vulnere percutitur; quia ſic eſtabat quaſi nihil pateretur, ne anima filij haberet in doloribus paſsionis, ex viſa dolente matre, plures dolores quàm crucis. *Averte oculos tuos à me* (dicit matri Sponſæ, pendens in cruce) *quia ipſi me avolare fecerunt.* Maluend. *Ipſi me intumeſcere fecerunt præ amore.* Tumor vulnerum eſt. A matre filij videbatur crux, ex qua totus animæ mœror: ſed in filio mœrorem cogitante, maior labor: petitque à matre, quòd ab illius, in cruce pendentis, vulneribus inflictis avertat oculos; ne intumeſceret ex corpore toto vulnus: etenim exacerbabantur vulnera crucis, ex oculis matris de vulneribus dolentis. In frequentiori ſenſu *Avolare*, ſumitur pro *Fugere* & *mori*. Virgil. 11. *Æneid.* v. 712. inquit:

Cant. 6.

Avolare pro fugere vel mori.

———*Avolat ipſe,*

—*Converſiſque fugax aufertur habenis.*

Virgil.

Averte oculos à me patiente, dicit matri Chriſtus in cruce: igitur à matre vulnera ſentiente, tanta cruciamina cordi; ut malim è vita fugere, quàm matrem ita videre. *Averte oculos tuos à me.* Sat mihi indolorem crux. Non ita à te afflictà videar, neillicò moriat: etenim ſuavius erit in acerbitate, pati mortem; quàm matrem videre ex filij cruce dolentem. Multa & acerbiſsima ſuſpenſus è ligno, paſsus; verùm.

Quanti doluit, matrem dolent. videre!

Inſtabat dominæ miſerabile vulnus.

In lamentabili huiuſmodi theatro, unde videbatur ſolatium, manavit in cruce maius tormentum. Palam eſt, ut aliò dixit Ethnicus d. *Eleg.* 18. v. 11.

Ovid. 5. *Triſt.* 6. v. 15.

Quid genus, aut virtus, aut optima profuit illi

Mater, & amplexus.

Proper.

10 Hocne levamen matri ſentienti? Crevit cognità cogitatione: ſiquidem auxit dolorem, oſtendes nihil pati cùm ſtaret iuxta crucem. Argumentum in hoccine vulnus, exponit Arnold, d. tract. 4. *Confixis oculis, vulnera maternà pietate conſiderat. Commoritur, & cor maternum immanitate doloris arctatur. Suſpirat intrinſecùs, & erumpentes revocat lachrymas: eò ampliùs intumeſcit anxietas: quò prohibetur egredi, & per luctus lamenta diſſolvi. Emergebant aliquando gemitus, quos reprimebat & increpabant animus: rebertebanturque in ſinum mentis, unde prodibant: introrſuſque ſeſe advincem collidebant. Ocurrente in anima ſucceſſivà procellà, ſtruebatur fluctibus tempeſtas valida. Imperabat dolori ſilentium, ac gemitus ſuffocabat; ut in vehementiorem dolorem, totius amaritudinis exhauriret ſalſuginem. Moriebatur, & mori non poterat. Clauſo tanti doloris tormento intrinſecùs, alium vultum exhibebat; nec poterat ex facie colligi crux illa animæ & patibulum ſpiritus: in qua erat hoſtia viva, beneplacens Deo, medullarum holocauſto.* Quid magis plorabile, quàm Chriſtus in dira cruce? & mater fletus reprimit, lacrymas bibit, ſuſpiria iugulat, gemitus devorat cum pœna ſuffocat? Quæ non cogitat matris amor, ut removeatur à dilecto filio dolor? Ut filij releget ex eius dolore dolorem, doloroſa doloris nequaquàm oſtendit faciem, collidentibus in vulnus extrinſecùs & intrinſecùs cordis affectibus: ſiquidem vulnus validum animæ; velle poſſe plorare, & nolle flere.

Arnold.

Cur ex vultu Virginis vita fugiebat paſſionis?

11 *O vos omnes qui tranſitis per viam* (tacitè dicebat) *attendite & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus.* Prohibere ploratum, vehemens tormentum: igitur graviſsima in afflictionibus pœna; arcere ſolatium, quod gratis dedit natura: pluſque pungit in dolorem vis doloris; quòd anima inveniatur ad lachrymas ſine lachrymis. Dolore pectus pungitut: ideo lachrymis, quod introrſum pungit, fletur. Ex corde ſaucio prodibant in oculos Virginis amaritudo; & tunc ſævior pœna & dirior in corde paſsio: etenim ſi doloris auxilium fons oculorum; ampliori obſequebatur cruciamini, quòd

Thren. 1. 2.

Dolor fit mus velle poſſe plorare, & nolle flere.

lachrymæ ſuſpenderentur, & in maiore dolore. *Videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus. Sicut*: ſit dolorum collatio, ſed magis in dolorum amaritudinis modo. In alijs cordolijs liberæ lachrymæ. In Virgine etiam ſerviebant dolori; quoniam in maiorem filij dolorem, ſi præ dolore matrem videret plorantem: huicque pectoris dolori ſummus dolor nec eſt ſimilis; quia plorare debebat (quod dolebat) ſine lachrymis. Matris dolentis modus eſt præ gemitibus fletus, & multoties ut effluat amaritudo, lachrymari ſine modo. Aliter fletur in Virginis planctu, ne dolores renoventur in filio. Si Virgo plorat, concutitur: ſi non plorat, magis premitur. Quid faciet hoc in articulo Virgo? Et dolor & modus doloris eſt ſine exemplo: equidem ut plus pro filio patiatur; dolor immanis ſine fletu amarè fletur. Huc pervenit dolor matris; videte, ſi eſt dolor ſimilis.

At ſtatue, an ſpecies magè ſit lachrymabilis ulla;

An ſors ſit miſeris ulla dolenda magis.

Sanctius hic.

12 Tenerum profectò præ compaſsione cor dulciſsimum Ieſu. A matre acceperat cor. Sic reſpiciens Magdalenam; *ut vidit eam plorantem, lachrymatus eſt Ieſus.* Mariæ, adinſtar Ioſephi, *erumpebant lachrymæ*: commota erant viſcera eius ſuper filio. Sed quid? *Stantem lego, plorantem non lego*: infit Ambroſ. de *Obit. Valentinian.* Non plorat? Et lachrymis ſanguinis. Plorat corde, plorat amariſsimè; ſed erumpentes lachrymas arcet in pectus; ne videns illam plorantem, lachrymetur & filius. Cordi altè ſedebant ſtigmata vulneris, ex filij plagis, quarum ſuperabat dolorem matris dolor; quia vigebat amor: & illa flente præ anguſtia, nec viſæ lachrymæ; quia ne triſtaretur filius, ſtabat ibi, quaſi mortua eſſet à corde. Gemebunda nec gemebat: plena fletù nec plorabat. Laudabile videbatur, pro filio gemere; cæterùm à bonis ſiluit. Poſuit ori cuſtodiam, ne indicaret in maiorem plagam. *Obmutui* (dicitur per David) *& dolor meus renovatus eſt.* Dolorem ſupponit, quando nec verbo indicavit, novuſque ex ſilentio ſurrexit: fas non erat, quod in matre ſaucia ius, dolorem exprimere; ne dolor dolentis in cruce gravaretur expreſsione. Dolor ſanè matris renovatus, crevitque tormentum: quandoquidem inter ſacrum & ſaxum, acerbitas acerbitatis in extrema amaritudine; velle flere & flere nolle. Hinc, ut vidimus, dixit Souſa:

Ioann. 11. 33.

Gen. 43. 30.

Ambroſ.

Velle flere, & flere nolle.

Pſ. 38. 3.

———*Ante crucem, luctumque ſilentem,*

Souſ.

Ægea tibi dolor tranſfixit pectora Virgo.

Subtilior matri dolor in vulnerato corde; nec poſſe tutò dicere, nec tacere. Hoccine quaſi non ſuſtineret ſtans ad crucem ſuſtinuit; quod

Dolor fletu gravidus accendit.

Sidon. 4 Carm. 8.

13 Quantus eſt in dilectum amor; tantus amantis, patientis compatientis eſt dolor. Hæccine plaga cor matris uſque in animam pungebat; ſed illa fortis iuxta crucem ſtabat; magiſque transfoſſa, quàm dolore paſsionis, ex cognitione patientis: igitur propter afflictam matrem, quaſi ſummus in cruce nullus eſſet, prætermittebat dolorem. Licèt. B. *Virgo ei aſtaret* (ait Alapid. in *Luc.* 2. 35.) *& compateretur; tamen dolor matris novum magnumque dolorem addebat filio. Dolebat enim mirificè, quòd mater propter ſe adeo doleret & cruciaretur; atque hic dolor viciſsim à Chriſto in matrem reflectebatur: ipſa enim dolebat, filium de ſuo dolore dolere.* Hinc Matris-Virginis admiratio, quia tanti amoris, tantique filij habebatur ab illa plena cognitio. Souſa d. à v. 947.

Doluit de matris dolore.

Alapid.

——— *Dolor ſanè miranti*

Divinum tam ſæva pati, natumque Deique Progeniem. Quis erit cernenti talia ſenſus?

Souſ.

14 *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum* (dicitur Salvatori noſtro, iuxta D. Thom. in *Pſalm.* 21. 17.) *His plagatus ſum* (reſpondit) *in domo eorum, qui diligebant me.* Particula *Quid* indicat propter novitatem ſingularem mentis admirationem: unde guſtato Manna, dixerunt: *Quid eſt hoc?* Exod. 16. 15. In argumentum ergo Didaſcaliæ. Videt plagas filij Virgo. Unde igitur admiratio? Quia dicit plagis plagatus? Novus profectò vulnerandi modus. An quia quas oſtendit, plagæ, ab odio non impactæ, ſed ab amore? Totum itaque ſcrutandum. *Quid ſunt plagæ.* Tota, paſsionem aſpiciens abſorpta eſt admiratione; quippe illa ſola cognoſcebat quis erat ille, in quo tot ac tantæ plagæ: iurèque miratur, quòd immortalis ita dirè pateretur; atque hominum ductus amore, ita pro illis gratiſque voluiſſet pati. Quid eſt hoc? Iam patet in plagis quid: mirante genitrice, dum ab illa videntur corporis plagæ: equidem ni mater tribuiſſet mortalem materiam corporis, vel in corpore floreret in delicias immortalis. Miratur, quòd potens accipere corporis glorioſas dotes; voluiſſet eſſe paſsibilis: cogitatque in plagis quid ſint, videns in cruce quid ſunt: quippe (licet ille eſſet natus de muliere) erat etiam matri admirationi, videnti plagas; quòd

Zachar. 13. 6.

Chriſtus, quia placuit, crucem ſuſtinuit.

Cur matri admiratio filij crucifixio?

accepiſſe cum corpore etiam paſsiones nativas. Sanè Chriſtus per illos patiebatur pro quibus patiebatur; ne paterentur. In illum tyrannis nihil ad crucem potuiſſet: oblatus eſt, quia ipſe voluit. Miraturque mater patientis amorem, dum videt illum tormenta crucis patientem; recogitans quid ſint plagæ, & crux amoris in cruce: quandoquidem ni ceſsiſſet amoris obſequio; nequaquàm eſtò paſsibilis vulneratur ab odio.

Textor. Epig. 11

Sic enim ingrato corda dolore levat.

15 Eſt aliquid amplius dignum admirationis? Utiquè, plagæ ex plagis. *His plagatus ſum.* Plagis plagari? Iſtæ ſanè plagæ, quid? Licèt in cruce, plagis (reſpondet) plagatus *in domo illorum, qui diligebant me.* Plagæ quæ factæ ab odio, factæ ferro; quæ quidem illorum inſtrumentis, eruperunt in vulnera carnis. Ex his vulneribus non fuit vulnus. Ex plagis factis ab amore coaluerunt plagæ. Hinc, ut dixit Alapide, in cruce Chriſtus, *mirificè* paſſus. Mirificè? Utiquè. Mater præ amore dolebat de filij cruce: filius præ vehementia amoris, dolebat ſimul de dolore matris. Erant plagæ diligentis: ſicque plagatus eſt plagis; quippequàm maius in cruce vulnus, factum cordi dolenti matris vulneribus. *Quid ſunt plagæ iſtæ?* A doloris medicina, facta plagā. Dolor in matre fuit effectus ab amore; & acrior cunctis exantlatis in cruce. Dolebat, non ut filius doleret; ſed ut officium matris ex dolore demonſtraret: at cùm huiuſcemodi ex vulneribus mœror & animæ labor, inter dolores filij eſſet maximus dolor; plagas ex plagis amoris ſenſit, quoniam vehementer de dolore matris doluit. Hoc dilectionis in utroque cruciamen. Iuxta crucem

Vnde ſi ab odio eius plagæ, tribuuntur amoris.

Chriſto maius vulnus ex genetricis vulneribus.

S. Franc

——*Crucifixus amor crucifixit amorem.*

Igitur ut vir dolorum (& à cruce, & à matris dolore) propter huius dolorem, acriorem in cruce ſuſtinuit crucem; quoniam ſenſibilior plaga, genitricis dolentis confecta vulnera. Hoc vulnerum vulnus.

——*Per maternas omnia geſta manus.*

Proper. d. v. 14.

16 Conſtat iam matri, *quid ſunt plagæ iſtæ.* Illa patientis ſuſtinebat pœnam, atque pœna poſuit filium, tamquàm ſignum ad ſagittam. O mater amara! O mater etiam in amarore dulciſsima! Plagæ ſiccine admirationi ſerviunt? Ne mireris: *Sagittæ tuæ tranſeunt.* A cruce torquebantur in pectus ac cor maternum; & à pectore ſaucio retorquebantur in filium, qui ligno clavis affixus; cæterùm plagis plagatus: igitur ibi exceſsivè dolebat; eò quòd amor tuus crucifixum crucifixerat. Liquèt cauſa,

Vnde Virginis amor filij amorem crucifixerat

P. 76. 18.

Virg. in Paſt.

Cur ille crudelem ſubeat tam ſæpè dolorem.

Ita theatrum dolores utriuſque ad vivum oſtendebat; ſed mater etiam vel iuxta crucem ſtabat. At quo vultu? Triſti, ſed Angelico.

Sen. Tro ad. verſ. 902.

Ratione quamvis careat, & flecti neget
Magnus dolor, ſocioſque nonnumquam ſui
Mœroris ipſos oderit:

Pectus adinſtar lilij, *transfixum, ſuavius.* Vide Picinell. *Mund. ſymb.* 11. n. 143. In odorem ſanè currimus, etſi dolemus. *Ecce in media tempeſtate tranquillitas* (ut ait Senec. de *Anim. tranquill.* cap. 14.) *Ecce animus æternitate dignus: qui in ultimo illo gradu poſitus, exeuntem animam percontatur, in argumentum veri: nec uſque ad mortem tantum; ſed aliquid etiam ex ipſa morte diſcit.*

Picinell

Senec.

Quanta illius cõſtantia!

Ovid 2. Amor. 5. v. 43.

Spectabat terram: terram ſpectare decebat:
Mœſta erat in vultu, mœſta decenter erat.

Sic Virgo-Mater mœrebat, ſicque iuxta crucem ſtabat. In rem Ioſeph. de *Imper. ration.* de matre Machabæorum Salome, infit: *Quæ ad tolerandam omnem pro Dei gloria iniuriam, ſemel dicavit animum; martyrium mihi videtur impleſſe. Si ſors perpetiendi deneget facultatem; pertulit tamen cuncta, quæ voluit pati.* In Matre-Virgine elucet exemplum. In paſsione filij,

Ioſeph.

Mantuā

Cor devotum ſine fine dolori.

DIDASCALIA III.

Ex Verbo divino in carne, tota felicitas homini.

1 Singularis Senecæ enthuſiaſmus, *Epiſt.* 74. Si ſciret, quid diceret; nequaquàm in terminis implicaret. *Deus* (ait) *ab homine vincitur: non eſt ſumma felicitatis noſtræ in carne ponenda.* Ni noſtra felicitas eſſet in Numinis carne, nullatenùs Deus vinceretur ab homine: felicitatique noſtræ fuit ſpecimen in triumpho, ubi in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Propter felicitatem natura pugnabat, verùm ad illam pervenire non poterat. Hinc Stoicus terminis implicat. *Cauſa autem eſt* (ſubdit) *quòd non perveniamus ad illud bonum immenſum & inſuperabili; ubi neceſſe eſt, deſiſtat voluntas noſtra, quia ultra ſummum non eſt locus.* Quomodò inſuperabile proponitur, ſi Deus ab homine vincitur? Felicitas ergo noſtra & ſumma, in haccine aſſumpta carne ponenda: igitur quia filius Dei non habebat, ad ſummam felicitatem homo venire nequibat: & ultra ſummum eſt locus; quippe in carne iam videtur homo-Deus. Accinit Claudianus (aptiùs Damaſus) Epigram. 40.

Senec.

Deus ab homine victum.

Claud.

Proles vera Dei, cunctiſque antiquior annis,
Nunc genitus, qui ſemper erat, luciſque
repertor.
Antè ſuæ matris parens, quē miſit ab aſtris
Æquævus Genitor; Verbique in ſemina fuſā
Virgineos habitare ſinus, & corporis arcti
Iuſsit inire vias, parvàque in ſede morari.

2 Apud Hemelarium, *Numiſm. aureor.* Tabul. 19. præ ſe fertur hominis imago, dextrà ſublevans Virginem, turrito capite; & orbem geſtantem. lemma, *Reſtitutori orbis terrarum.* Felicitatem noſtram ſymbolum exprimit, dum Verbum è Virgine-Matre carnem aſſumpſit, quæ orbem portavit terrarum, collocans in terris cœlum. humanā, quæ iacebat, ſublevata naturā, tranſgreſsione quondam lapſa; ut in carne videretur felicitas, ubi ſub illa tota divina maieſtas: iacentemque per Virginem-Matrem in altiora ſublevavit; quia per illam in antiquam felicitatem (cùm eſſet homo) reſtituit. Prædixit Evangelicus Vates. *Utinam dirumperes cœlos, & deſcenderes! Cum feceris mirabilia, non ſuſtinebimus. Deſcendiſti, à facie tua montes defluxerunt. A ſæculo non audierunt.* Conditio humana in felicitate condita, eius ſub tyrannide gemebat; à quo fuerat ſupplantata. Verbum divinum erat in Patris ſinu, quin fieret homo; ex quo tota hominis beatitudo. Hæc optabatur ab homine, quod quidem ſine Deo-homine non valebat adipiſci: cœloſque dirumpi efflagitat, & quòd ex illis deſcendat; quippequàm idem Dei filium hominem in terra videre, ac cœlos eius deſcenſu aperiri. Cauſam voti exponit, quoniam ſine illo infeliciter gemit. Suſtinebat ſub poteſtate dæmonis, tyrannicæ inſolentiam dominationis, unde ſi in terris è cœlis videtur Patris ingeniti filius, effatur, *Non ſubſtinebimus*; igitur ſtatim ac videatur in orbe, liberabitur feliciter de dæmonis poteſtate. Hæc ſanè, diruptis cœlis, cùm fecerit mirabilia. Quænam igitur potenta? Dicit brevi: *Deſcendiſti*, & caro factus, ex Virgine-Matre in hominem de cœlo conceptus: ſignatque mirabilia, quorum nil ultrà: equidem non eſt auditum à ſæculo, Deus-homo, atque Mater-Virgo. Souſa de *Domin. Incarnat.* v. 305. ſuccinit:

Ioann. Hemel.

Eiuſmodi victoria per Virginē parta.

Iſai. 64. à 1.

Cœlum aperitur, & homo à dæmone liberatur.

Novum in mundo Deus homo, materq; Virgo.

——*Refert ſedato pectore Virgo,*
Quo fiet res iſta modo? Natura repugnat.

Mel. Soul.

Supremum lucebit opus: mirabile nobis.
Et ſuperis etiam; non antè ab origine mundi
Patratū, nūquamque iterùm patrabile fiet.

3 Hoccine opus à ſæculo non auditum, ex quo defluxus montium, ideſt *Cordium* (inquit Alapide) propter gaudium: equidem huiuſmodi portento; à reſtitutore orbis ex fœmina, reparata beatitudo. A noſtra Tautologia promitur miraculi cauſa. Pridem ducebatur humana natura *per deſerta, quæ non habitabantur.* Videnda in ſingularem gloriam, quæ prodigia Deus poſuit Verbi incarnatione ſuper terram: equidem terra humana quæ deſerta, iam à Numine habitata. Huius felicitatis erat hominis votum. Haud fruſtratum. Gemitus compeditorum audivit, ubi Dominus de cœlo in terram aſpexit. Cœlos inclinavit & deſcendit: homo iam videtur in Maria, ut inhabitet gloria in terra noſtra. Rutilant in eius incarnatione, opus, modus & cauſa, uti inuſitata nec audita mirabilia. Opus. *Verbum caro factum.* Modus, *Ex Muliere, ex Maria Virgine.* Cauſa in tantam felicitatem, *Propter nos homines, & propter noſtram ſalutem.* En ſumma humanæ felicitatis. A Domino factum eſt iſtud, quod eſt mirabile in oculis noſtris: etenim ut vivat floreatque beatus, ultra ſummum datur locus. *Viſio magna* (ait Damiani, *ſerm.* 11. n. 2.) *qualiter Deus in Virginis utero concipiatur, diabolus decipeatur, perditum recipiatur, indebitum accipiatur.* Hic ſcopus Didaſcaliæ; ut opus, modus & cauſa fulgeant in Incarnatione. Idem, qui ſupr. à v. 205. & 363.

Per illos reparata beatitudo

Sapient. 11. 2.

Quæ mirabilia in Incarnatione Verbi.

Perr. Damian.

Hoc Pater Omnipotens, chari ſapientia nati
Et pariter communis amor genitoris & almæ
Prolis (ut eſt eadem ſemper divina voluntas;
Una eademque Dei maieſtas, unus & idem)
Apparat humanā vinci virtute tyrannum,
Inſtituique virum, qui noxia crimina vitæ
Moribus evertat ſanctis; qui roboret acre
Pectus in hoſtiles fraudes ::: nam protinùs
almo
Chriſtus in eſt utero, ſacra formatus in aula
Virginis, ac totam luſtrat virtute puellam.

Souſa.

4 Ita Chryſologus cogitat. *Audiſtis* (infit *ſerm.* 142.) *Angelum cum muliere de hominis reparatione tractantem. Audiſtis agi, ut homo curſibus eiſdem, quibus dilapſus fuerat ad mortem, rediret ad vitam. Agit, agit cum Maria Angelus de ſalute; quia cum Eva Angelus egerat de ruina. Audiſtis Angelum de carnis noſtræ limo templum divinæ maieſtati arte ineffabili conſtruentem. Audiſtis in terris Deum, in cœlis hominem ſacramento incomprehenſibili*

Chryſol.